



Prot. N. 98/22/I

B E A T I S S I M E P A T E R,

Damianus Bednarski, Parochus Sancti Urbani Papae et Martyris Paroeciae de "Wola", Katovicensis Archidioeceseos, reverenter exponit ipsam paroecialem ecclesiam centesimum et quinquagesimum celebraturam esse anniversarium ex quo consecrata est.

Ad hunc faustum eventum digne commemorandum, peculiares peragentur sacrae functiones et alia spiritualia incepta, ita ut christifideles, qui illuc accursuri quamplurimi praevidentur, sacramentis Paenitentiae atque SS.mae Eucharistiae proprias reficiant animas et sinceram accrescant devotionem erga caelestem Patronum.

Itaque Rev.dus Orator, Exc.mo Auxiliari Episcopo Katovicensi enixe favente, donum Indulgentiae pro peregrinis piisque visitantibus, a Sanctitate Tua fiducialiter implorat. Et Deus, etc.

Die XI Martii MMXXII

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, de mandato Sanctissimi Patris Francisci, plenariam libenter concedit Indulgentiam, suetis condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communione et oratione ad mentem Summi Pontificis) rite adimplatis, a christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis a die XIII Martii MMXXII usque ad diem XII Martii MMXXIII lucrardam, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si paroecialem Sancti Urbani Papae et Martyris ecclesiam in forma peregrinationis inviserint et ibi iubilaribus ritibus devote interfuerint, vel saltem per congruum temporis spatium piis considerationibus vacaverint, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei invocationibusque Beatae Mariae Virginis et Sancti Urbani Papae et Martyris.

Paroeciae fideles senectute, morbo vel gravi alia causa impediti, pariter plenariam consequi valebunt Indulgentiam si, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, anniversariis functionibus se spiritualiter adiunixerint, precibus doloribusque suis, vel incommodis propriae vitae, misericordi Deo per Mariam SS.mam oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilior pro pastorali caritate evadat, haec Paenitentiaria enixe rogat ut Parochus et sacerdotes opportunis facultatibus ad confessiones excipendas praediti, in iubilari templo, prompto et generoso animo celebrationi Paenitentiae sese praebant ac S. Communionem infirmis saepe ministrent.

Praesenti per paroeciale iubilaeum valituro. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Macarius Card. Diacrene
Paenitentiarius maior

Antonius Nyfeler
Legatus